



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Fornicatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

antes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui verò non crediderit, con demnatur; ergo dum Christus Dominus præcipit promulgari Evangelium, utique præcipit promulgari mysteria Trinitatis, & Incarnationis; de aliis mysteriis, quæ sunt necessaria necessitate mediæ ad justificationem, nempe de existentia Dei, & de Deo ut Remuneratore, constat præceptum ex illo D. Pauli testimonio ad Rom. II. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator est?* An sufficiat semel illa mysteria credidisse; vide quæ dixi qu. 243. & 245. opinio enim docens, sufficere fidelibus semel illa mysteria credidisse, expressè ab Innoc. XI. cum prop. 65. damnatur.

### F O R N I C A T I O .

283. **Q**Uæritur. An fornicatio, & pollutione sint malæ moraliter ex sola prohibitione Dei, an potius ab intrinseco, atque adeo ex jure etiam naturali?

Resp. Est de fide, fornicationem, & pollutionem esse peccata mortalia, atque adeo intrinsecè mala, quia non solum ex prohibitione Dei, sed specialiter jure naturæ sunt vetita; constat enim ex doctrina, quam tradit Apost. cap. 6. Ep. 6. ad Corinth. ubi malitiam fornicationis, & cujuslibet actus luxuriosi ostendit, non à præcepto Domini, quod supponit, sed à variis rationibus; constat etiam ex decreto Innoc. damnantis propositiones 48. & 49.

284. Ex quibus sequitur 1. quòd sicut nemo potest complacere sibi de blasphemis in somno, aut ebrietate prolatis, aut de parricidio,

cidio, ita nec de solutione naturæ, quam in somnis passus est, quia scilicet complacentia de objecto in se turpi est illicita, & jure naturæ prohibita; licita tamen erit ob motivum præponderans, v.g. valetudinis, sedandi tentationes carnis, levandi naturam, dummodo ea sit absque ulla delectatione morosa.

285. Sequitur 2. quòd neque licet confurcationem istam in somnis habendam desiderare, nisi fortè ob dictum motivum, dummodò tamen desiderium sit simplex, & inefficax, nam si notabiliter in pollutionem influeret, non excusaretur à mortali.

286. Sequitur 3. quod a fortiori non licet illam, ut in somnis accidat, procurare, v. g. comedendo res calidas in eum finem, aut tali situ cubare in lecto, ut ea facilius accidat; dicuntur autem causæ pollutionis notabiliter in illam influentes in genere luxuriæ, v. g. oscula, tactus, aspectus, cogitationes valde excitativæ spirituum ad generationem deservientium, leviter verò dicuntur influere: v. g. levis tactus manuum ex vanitate, & joco, lectio vana, & mere curiosa turpium, verba mollia ad conciliandum vanum, sed non libidinosum amorem, potos inordinatus vini &c.

287. Quæritur. An demonstratur malitia intrinseca actionum obscænarum ex vehementi passione, & voluptate nimia?

Resp. Quilibet actus obscænus, sive luxuriæ naturalis, sive contranaturalis est intrinsecè malus moraliter propter vehementiam voluptatis, non ut cumque, sed propter effectus, qui ex ea vehementia voluptatis oriuntur; hi sunt: cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor

amor sui, tædium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, vel desperatio futuri; ex quibus quatuor priores pertinent ad intellectum, quatuor verò posteriores ad voluntatem; quæ autem sint ea mala gravissima, quæ ex luxuria propter præcipitationem, inconsiderationem, cæcitatem mentis &c. oriuntur, quotidiana experientia, & vetusta annalium totius orbis monumenta demonstrant; dolere vehementer debemus, quod propter luxuriam Henrici VIII. Lutheri, Calvini, & aliorum hæresiarcarum maneant adhuc Anglia, Scotia, Suetia, Saxonia, aliæque Provinciæ sub dominio diaboli.

288. Quæritur. An sit damnata opinio docens, Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ Decalogi, atque adeo in præcepto non mæchandi?

Resp. Propositio, quæ affirmat, posse Deum dispensare in omnibus præceptis secundæ tabulæ, atque adeo in 6. præcepto, ex eo fundamento, quod ea præcepta non sunt strictè de jure naturæ, sed ex sola prohibitionem positiva Dei, subjacet virtualiter damnationis prop. 48. & 49. ratio est, quia ea propositio est antecedens, unde clarè infertur, quod si Deus non prohiberet fornicationem, illa esset licita, ut ex terminorum comprehensione constat, idcirco ea propositio est impossibilis cum hac damnatione; si verò propositio affirmet, posse Deum dispensare in dictis præceptis, mutatis circumstantiis non subjacet damnationi.